

dos, gentes ad fidem vocandas. Herodis furor odium significat Judæorum in Christum, Herodes enim exponitur, pellibus glorians: tales erant Judæi, qui in progenie tantum sua gloriabantur: *Filii Abraham sumus, etc.* Metuebat primo, Herodes regno suo, ne per Christum eo spoliaretur: metuebat et Judæus, ne per Christum exueretur libertate. Neutri timendum erat: unde sicut Herodes frustra timuit Christum, ita et Judæi odio habuerunt eum gratis et gratis timuerunt, cum dixerunt: *Si dimittimus eum sic, venient Romani et tollent nostrum locum et gentem*: item: *Ecce totus mundus abiit post eum*. Variissimi Judæi, non eripit mortalia, qui regna dat cœlestia, qui regni vestri gloriam fugit.

Secundo, Herodes fama Christi territus, gladio eum persecutus est et recedere coegit. Ita et Judæi fama miraculorum Christi consternati, gladio linguæ (cum clamant: *Crucifige, crucifige*), eum persecuti sunt, et discedere se ad gentes coegerunt, quando ejecerunt e civitate ipsum primo, et deinde apostolos ejus, prohibentes eis, ne in nomine Christi amplius loquerentur, Act. IV. et contradicentes cum blasphemis. Unde audierunt: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, ecce convertimur ad gentes*, Act. XIII. Christus effugit Herodem, licet pro eo occisi sint Innocentes: sic effugit et Judæos per resurrectionem et propagationem evangelii ad gentes, tametsi pro eo multi a Judæis necati sunt Innocentes.

Tertio, Joseph et Maria extulerunt Christum e Judæa in Ægyptum: ita apostoli et eorum successores, Christi fidem et legem a Judæis tulerunt ad gentes. Maria Christum genuit, Joseph educavit: sic apostoli Christum genuerunt in hominibus per evangelium, successores educarunt, I. Cor. III. *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit*. Apostoli genitores, successores pædagogi erant, I. Cor. IV. Nocte elatus est e Judæa Christus: sic et apostoli efferentes Christum, noctem ignorantiae Judæis reliquerunt, in qua adhuc versantur et palpant quasi cæci in meridie, juxta prædictionem isaïæ, cap. LIX. *Propter hoc elongatum est iudicium* (id est, fides, religio et justitia) *a nobis, et non apprehendit nos justitia, expectavimus lucem, et ecce tenebræ, splendorem, et in tenebris ambulavimus: palpavimus sicut cæci parietem, et quasi absque oculis attractavimus*, q. d. Christi religione ubique coruscante per universum orbem, et hominum oculis patente, nos soli in tenebris versamur, nec videmus illam, oculo scilicet fidei interno, tametsi manibus palpamus, id est, externe deprehendimus venisse Messiam; et hoc de merito nostro, quia lucem, quam expec-

tavimus, non admisimus, non agnovimus, imo extinximus.

Quarto, Christus extincto Herode rediit in Judæam, ita Christus adventante hujus mundi fine, quando post interitum antichristi Judæi se deceptos videbunt, et odium illorum in Christum erit extinctum: tum revertetur Christus in Judæam et plerique Judæorum salvi fient, Rom. XI. et Dan. XII. Verum enim vero sicut a Judæis profugit Christus, expulsus Herodis gladio, ita fugit etiam a quocumque homine cum impetitur ab eo gladio peccati. Impetebatur in Germania ante annos centum gladio hæreseos, a Lutero, Calvino et similibus Herodis diabolici ministris: ideo profugit ad Japones et Indos. Ad eundem modum, cum Christus in nobis nuper natus, impetitur aliquo peccato nostro mortifero, protinus a nobis fugit, non secus ac ab Herode, et ad alios migrat. Vide, Christiane, ne sis Herodes Christo, et alius accipiat coronam tuam, Apoc. III.

IV. Ut consolaretur servos suos, cum in exilium pellendi essent ad terras hostiles, nationes efferas, incultas, plurimamque ibi mala perpessuri; quemadmodum enim Christus in exilium pelli non potuit, quoniam ipsa etiam Ægyptus patria illi fuit; (quia Domini est terra) ita servi Dei, quocumque tandem pellantur, pelli extra patriam nequeunt, quia in terra Domini et patris sui sunt, eumque sibi præsentem habent. Itaque omni terra, illis patria est: et rursus omnis terra exilium est, quia ad cœlum tendunt tamquam ad unicam patriam suam. Ita S. Cyprianus martyr. ep. LVI. ad Thibaritanos: « Solus non est cui Christus in fuga comes est: solus non est, qui templum Dei servans, ubicumque fuerit; sine Deo non est. » De ejusdem Cypriani exilio S. Augustinus, serm. de S. Cypriano ait: « De patria sua in alienam te arbitraris (tyranne) excludere hominem Dei in Christo nusquam exulem, in carne ubique peregrinum. » Ita S. Gregorius Nazianzenus, orat. XXVIII. « Mihi, inquit, omnis terra et nulla patria est. » Ita S. Basilius apud eumd. Nazianz. orat. II. « Exilium, inquit, non cognosco: qui nullo loco circumscriptus sum; ac nec terram hanc, quam nunc incolo, meam habeo; et eam omnem, in quam projectus fuero, pro mea duco; imo ut rectius loquar, universam terram Dei esse scio, cujus advena sum, et peregrinus. » Ita Sanctus Chrysostomus cum ab Eudoxia Aug. in exilium pelleretur, scribit ad Cyriacum, ep. III. « Ego cum e civitate fugarer, nihil eorum curabam, sed dicebam intra memetipsum: Siquidem vult me regina exulem, agat in exilium, Domini est terra et plenitudo ejus. » Quin et gentiles invenire est, qui tales se professi sunt. Socrates et

CONCIO V.

DE PARENTUM IN LIBEROS CRUELITATE.

I. Aliquid deserunt liberos. — II. Alii opprimunt. — III. Alii suffocant. — IV. Alii carnifici tradunt. — V. Alii venenum eis propinant. — VI. Alii gladio perimunt. — VII. Alii immolant eos idolo.

THEMA.

Mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehæm. Matth. II.

Qui hodiernum legit, audite evangelium et non horrescit, nescio utrum is quidem humani aliquid habere censendus sit. Etenim quis non horreat, cum audit innocentissimos infantes, tanto numero tam crudeliter raptari, ferro dividi, parietibus allidi, faucibus constringi, pugione transfodi, ac quodammodo pedibus vernium instar protesi? Crudele existimarunt balneum illud Constantini magni imperatoris lepræ curandæ causa ex infantum sanguine præparatum apostolorum principes per somnium ei visi, ut est apud Baron. anno Domini 324. ideoque a crudeli lavacro absteritum ad baptismum direxere. At multo crudelius erat balneum id Herodis, ubi sine omni necessitate, raptabantur infantes e matrum gremiis et uberibus, nullo habito respectu nobiliorum, formosiorum, ditiorum, adeo ut inter alios, filius etiam ipsiusmet Herodis unus interimeretur. Quod ubi Cæsar Augustus inaudit, publica voce, præstare porcum esse Herodis, quam filium prænuntiavit, teste Macrobio, II. Saturn. c. IV. Atque hæc nimirum est causa, quod cum Ecclesia universalis, in aliis ss. martyrum festivitibus lætari at tripudare quodammodo soleat, hoc uno martyrum die organa sua suspendat, cantica lætitiæ prætermittat, scilicet ob indignissimi sceleris immanitatem. Et eritne sub cœlo aliquis, qui simile facinus audeat, et Herodem adeo crudelem agat? Certe non pauci, qui non tantum alienos, sed proprios etiam perdunt filios, et quod longe est horridissimum, æternum perdunt, corpore et anima, e filiis adoptionis filios perditionis, e filiis cœli filios gehennæ faciunt. Videamus qui sint isti parricide.

I. Exponunt alii filios suos, muliercularum instar, et deserunt abjectos; ut sunt illi qui nullam prorsus curam adhibent liberis instituendis et erudiendis. De ejusmodi parentibus S. Chrysost. hom. LX. in Matth. ait: « Patres equorum domitores cogunt, ut studiosissime sibi equos domitent, neque incuria committunt ad firmiorem ætatem indomitos pervenire, sed frænum ac cætera, quibus opus est, incipientes adhibent: libe-

ros autem suos longe provehi absque castigatio-
nis negligentia fræno, et dimittunt circuire, scor-
tis, aleis, obscænis spectaculis inhiantes, etc. »
Hæc ille: idem, l. III. adversus vituperatores
vitæ monast. Ejusmodi patres parricidis imma-
niores vocat, quod illi corpus ab anima separa-
rent; isti et animam et corpus æternis ignibus
tradant. Crates ut refert Plut. de liberis educ.
aiebat, si liceret, altissimam se turrim conscen-
surum et vociferaturum: « Quorsum ruitis,
homines, qui omne in comparandis pecuniis, ves-
trum studium facitis, filiorum vero, quibus eas
relinquitis, nullam sane curam suscipitis? »
Addit Plutarchus, quod hi non aliter faciant, quam
qui magnam calceorum sedulitatem habent, cum
interim pedem ipsum parvipendant. Etenim prius
de liberorum virtute, postea de hæreditate, prius
de animo, postea de corpore habenda cura. Ita
Diogenes invehitur in inertiam Megarensium pe-
cora sollicitè curantium, juventutem minime (ut
quæ in luxu et otio diffueret) dicebatque se Me-
garensis alicujus arietem esse male quam filium,
Ælianus, l. XII. de var. hist. Sic nostrates sæpe
plus excolunt agros et prata, quam filios. Et quid
fit ex talibus cultura destitutis liberis? Quod ex
agro et terra inculta spinæ, tribuli et zizania.
Boni patres similes sunt avibus solertibus, quæ
natura duce collocant ova sua in locis securis
proprioque calore vivificant pullosque suos edu-
cant, donec per seipos volare possint et cibum
sibi quærere. Mali vero struthioni, qui dereliquit
ova sua in terra et eo operiens ea pulvere ita re-
linquit et obliviscitur quoad pes alicujus tran-
seuntis conculcet ea aut bestia agri conterat:
Duratur ad filios, quasi non sint sui, etc. ut Job,
XXXIX. habetur. Sic mali parentes non curant de
filiorum educatione, sed tantum operiunt eos
opum provisione: unde fit ut conculcentur ab
hominibus, devorentur a dæmonibus. Non suffi-
cit parentibus generasse filios, et aliquamdiu nu-
trisse, sicut bestia solent; sed debent eos etiam
virtutibus excolere, etc.

II. Aliqui opprimunt liberos suos instar illius
machinæ, quæ virginis species reos amplexando
adeo fortiter premit, ut animam emittant. Et qui-
nam isti? Qui liberos plus quam decet diligunt,
ad ipsorum se voluntatem totos accommodando,
ne quare eos contristent: eosque domi in deliciis
educant. Idem facit simia, quæ cum duos habeat
catulos, dum altero neglecto: alterum nimis di-
ligit manibusque continuo, tractat, enecat. Unde
cum venatorem aliquando simia fugeret, catulum
chariorem brachio stringens eum eo aufugit: al-
ter negligi se videns in tergum matris insiliit. Ac-
cidit ergo dum fugeret, ut quem brachio stringe-

bat gratiorem, opprimeret, et ita alterum, quem
neglexerat, amplecti cogeretur, Pier. l. VI. hiero-
gli. Ita nimirum parentes aliqui filios suos, dum
domi retinent; et mulcent, cum illis ludunt et
rident, perdunt et inolescere eos faciunt. Cum
mortuus esset filius viduæ Sarephthæ, tulit
eum Elias de sinu matris ejus et portavit in cœ-
naculum, ubi ipse manebat, et poscit super lec-
tum suum: *Et que eum suscitavit ad vitam, uti le-
gimus, III. Reg. XVII. moritur puer in molliori
lecto, vel (quod fortasse verius) in materno sinu,
inter delicias, quas comparat indulgentia paren-
tum justo plus profusior: excitatur autem duro
lectulo et cœnaculo Eliæ ubi propheta noctes in-
somnes ducere, et austere vivere consueverat. Ita
perimit matrum indulgentia liberos, quos seve-
rior disciplina servat et confirmat. Oppressit me-
retrix illa, III. Reg. VIII. filium suum, quia etiam
dormiens voluit eum habere in sinu suo. Mode-
rata pluvia terræ prodest, nimius imber obest;
ita parentum indulgentia moderata esse debet.*
Discere ejusmodi parentes a patriarchis illis de-
berent, qui vel ideo merito patriarchæ, id est, pa-
trum duces vocantur, quod filios severe educa-
bant. Abraham emittens a se Ismaelem filium,
panem et utrem aquæ ei pro viatico dedit, Gen.
XXI. Isaacum immolaturus lignorum acervo one-
rat, et oviculæ instar colligat, jamjam immolatu-
rus, Gen. XXII. Isaac deinde et ipse filium suum
Jacob in Mesopotamiam ablegat, sola benedictio-
ne imperlita sine socio, sine peculio, ita profici-
scenti filio hospitium sub dio, lectus terra, culci-
tra non nisi lapis esset, Gen. XXVIII. sed et Jacob
filios suos quam severe educavit, patet ex eo,
quod pascendis ovibus et asinis eos occupavit,
Gen. XVII. denique, Theodosius imp. Arcadium
filium Arsenio præceptoris tradens, aiebat: *Pos-
thac tu magis pater ejus quam ego.* Videns item
aliquando docentem Arsenium stantem, filium
vero auditorem sedentem, increpavit magistrum
et sedere eum, filium vero stantem audire jussit,
Baron. an. 383.

III. Alii suffocant filios et filias, dum eorum
bona proposita, quæ conceperunt, quale est reli-
gionem ingrediendi, extinguunt. Quid enim hoc
aliud est, nisi liberos suffocare? Sunt hi pavoni
similes, qui conjugis ova quærunt, ut frangat, Bart.
Angl. l. XII. c. XXXI. Homicidio tenetur non so-
lum, qui natum interimit, sed etiam ille qui fa-
ctum in utero necat. Ideo enim IV. Reg. IX. dici-
tur Achab morte plectendus, quod sanguinem
Naboth et filiorum ejus fuderit, qui etsi filios ejus
non occiderit, tamen generandum ab eo prolem
immatura patris nece perdidit. Fortiter quidem
trahit ferrum magnes, sed tantum id dimittit,

cum accedit adamas; ita parentum amor liberos
ad se trahens cedere debet amoris Dei, et accidit
multoties ut parentes vita excedant, ne hæc in re
liberis impedimento sint: sic enim S. Ambr. l. I. de
virginibus ait: Virginem quamdam cum alteri
adhæreret, et a quodam objurgante audiret: « S. tu
quædus viveret, inuptam te pateretur? » res-
pondisse: « Ideo fortasse defecit, ne impedimen-
tum posset afferre. » Idem in fine ejusd. libri ait:
« Si hominem amarent filia vestra, per legem
possent eligere, quem vellent. Quibus igitur ho-
minem eligere liceat, Deum non liceat? » S. Hier.
in ep. ad Furiam ait: « Non es ejus cui nota es,
sed cui renata et qui te grandi prætio redemit
sanguine suo, etc. » Denique, idem ipse in reg.
monach. c. XIX. ait: « Licet parvulus ex collo
pendeat nepos, licet sparso crine, et scissis ves-
tibus, ubera, quibus te nutrierat, mater ostendat,
licet in limine pater jaceat, proculcato perge pa-
tre, siccis oculis ad vexillum crucis evola. Pieta-
tis genus est in hac re esse crudelem. » Rursum,
si eosdem ad laudabilia studia videtis inclinatos,
nolite eos abstrahere ad ea, quæ oderunt. Laudat
S. Greg. Naz. in ep. ad Eudoxium, consuetudi-
nem Atheniensium: « Proponebantur, ait, publice
cujusvis artificii instrumenta, atque ad illa du-
cebantur adolescentes; quocumque tamen quis-
que delectabatur, et ad quod accurrebat, illius
edoccebatur artificium: propterea quæ ad naturæ
ductum sunt, plerumque bene succedunt: quæ
præter naturam præsumuntur, frustra tentan-
tur. »

IV. Alii filios carnificibus tradunt infami sup-
plicio mulctandos, dum eos delinquentes ipsi non
corripiunt. Hinc enim filii pervivaces sunt, et
multoties tandem in carnificum manus deveniunt,
aut certe in alias Dei vindictas. Graviter in hoc
deliquit Heli sacerdos, I. Reg. II. qui audiens filios
suos enormiter peccare, blande nimis eos allocu-
tus aiebat: *Nolite filii mei, non enim est bona fama
quam ego audio, cum potius baculam arripere de-
buisset, et severe castigare.* Effecit itaque, ut
paulo post filii ejus ambo in prælio occumberent,
et ipse audito cædis nuntio de sede corruens cer-
vicem frangeret: eo nimirum quod noverat indi-
gne agere filios suos, et non corriperit, ut dici-
tur I. Reg. III. Certe tanta erat illa iniquitas ut
juret ipsi Deus, non expiandum victimis et mu-
neribus in æternum. Diogenes aiebat: « Si quis
assidue medium digitum intendat vice indicis,
vulgo habetur insanus: si quis indicem, sanus
videtur. At plurimi sunt homines qui gravius in-
saniunt in rebus seriis quam pro digito porri-
gant, et tamen hi vulgo non habentur insani.
Quemadmodum et hodie parentes in liberis pro

gravi peccato castigant, si læva pro sinistra utan-
tur: atqui non itidem castigant eos, cum turpia
pro honestis eligunt, hæc ipse Laert. l. VI. Boe-
tius, de discipl. schol. narrat filium Lucretii in-
dulgenter educatum et parentum neglectu delin-
quentem, cum ad furcam educeretur, patri prius
ut loqui posset, petisse: quo ad osculum acce-
dente nasum ei mordicus abripuit, dicens se ne-
quaquam eo infamiae deventurum fuisse, si olim
a patre correptus et castigatus fuisset. Quod ex-
emplum cum forte pro concione narrasset S. Ber-
nardinus, ut habetur, ser. XVII. de evangelio
æterno, prudens mater id percipiens, increpare
domi acriter filios suos cepit, inquit: *Non am-
putabis mihi nasum.* David cæteroqui optimus,
animo tamen in filios plusquam expediret indul-
genti ac molli, fecit ut in aliorum gladios filii
inciderent. Primo enim, Ammonem, qui compres-
serat sororem, dum propterea contristare severa
correctione noluit, audire paulo post debuit, ju-
gulatum ab Absalone fratre, II. Reg. XII. Absa-
lonis deinde suspendium vidit, cujus prius domi-
natum nimium et fastum indulgentius tolerat,
II. Reg. XV. denique, Adoniam, quia non corripi-
vit aliquando ob immaturam ambitionem, III.
Reg. I. impexit in gladium Salomonis, ibid. c. II.

V. Alii liberis suis venenum propinant et mor-
tem sæpe afferunt, id videlicet, qui malo suo ex-
emplo eos depravant, ut qui in eorum præsentia
agunt indecora, vel eosdem etiam seducunt ad
tabernas, ludos, choreas, etc. quia quod vident
in parentibus liberi, id rectum esse judicant, et
facile ac tenaciter imbibunt. S. Chrysost. ho.
XLV. in Matth. ait: « Ut regula est naturæ nasci
hominem duobus oculis et quinque digitis, licet
interdum exorbitet; ita regulam esse naturæ, ut
patri similis nascatur filius. » Quis nescit filios
imitari parentum loquelam, vultum, oculos, in-
cessum? S. Hieron. in ep. ad Lætiam, de filia
educat. ait: « Difficulus eruditur quod rudes ani-
mi perbiberunt. Lanarum conchyliis quis in pri-
stinum candorem revocet? Recens testa diu et
saporem retinet, et odorem quo primum imbuta
est. Græca narrat historia Alexandrum potentis-
simum regem orbisque comitorem, et in moribus
et incessu Leonidis pædagogi sui non potuisse
carere vitiis, quibus adhuc parvulus fuit infectus. »
Idem epist. ad Gaudentium pat. educat. ait: « Ut
aqua in areola digitus sequitur præcedentem:
ita ætas mollis et tenera in utramque partem fle-
xibilis est, et quocumque duxeris, trahitur. »
Quare pro miraculo habetur, quod pereunte Core,
non perierint et filii, Num. XXVI. *Factum est grande
miraculum, ait textus, ut Core pereunte filii ejus
non perierint.*

VI. Alii gladio liberos suos interimunt, qui in super eos prava et perversa docent. Alii rapinam, quales et crocodili, qui si videant fœtum suum simul ac natus est sedulo repere, eum pro legitimo habent, at si deses fuerit ac muscas solum venetur, nomine et stirpe sua indignum censent, et de vicinia pellunt, Viuent. spec. nat. l. XXX. c. CXI. Alii superbire eos docent, capillum crispere, faciem fucare, etc. de quibus, Ps. CLXIII. dicitur: *Filiæ eorum compositæ circumornatæ ut similitudo templi.* Recte Clemens Alexandrinus, l. XI. pædag. c. XII. comparat ornatum illum superfluum cum templis Ægyptiarum et Lucis magnifice adornatis, sed in quibus continerentur feles, crocodili, serpentes, etc. Sane si cum templis etiam nostris comparationem instituere liceat, videbimus in muliebri mundo superfluo, capillos in altum assurgentes veluti turrim, gemmas ex auribus dependentes veluti campanas, rosas et coronas in capite veluti ciconiarum nidum, faciem fucatam velut imaginum picturas, collaria expansa, velut dæmonum subsellia, oculos vagos et superciliosos velut candelas arden- tes, etc. Et quid hoc nisi e templo et domo Dei facere templum diaboli et speluncam latronum? De Prætextata S. Hieron. ep. VII. ad Lætam scribit, eam, cum virginem Deo dicatam Eustochium mundano more ornasset, crinemque ad viri imperium superbe pexisset, correptam ab angelo audisse: « Tu ausa es viri imperium præferre Christo; manus tuæ hoc attentasse arescent, et quinto post mense ad infernum deduceris; et ni cesses, marito simul et liberis orbaberis. » Quæ omnia ordine contigisse narrat ibid. S. Hieron. Alii eos pravas docent cantationes, de quibus S. Chrysost. hom. IX. ad Coloss. ait: « Nunc vero Satanicas cantationes præferunt pueri vestri, quemadmodum coqui et obsonatores et chorearum ductores: psalmum autem nemo novit ullum, quin et res ista turpis esse videtur, ludicra et ridicula. Hinc mala cuncta vigent, etc. »

VII. Denique, idolo Moloch immolant filios suos, ut qui in locos hæreticos eos mittunt, vel patiuntur, inter eos degere, ut opificum tyrones. Deinde, parentes illi, qui liberos suos instruunt ad beneficium adeoque dæmoni devovent, ac despondent. Qua crudelitate quæ major excogitari potest? Audiant hi, quod præcepit Deus, Levit. XVIII. *De semine tuo non dabis ut consecretur idolo Moloch: et Lev. XX. jubetur lapidari, qui dederit de semine suo idolo Moloch: Populus lapidabit eum, et ego ponam faciem meam contra illum succidamque illum de medio populi mei.* Atqui nonne multo gravius est liberos suos impellere in gehennam, quam impellere in brachia igniti Moloch,

vel etiam infamem carnificis rogum? Pii olim parentes tradere solebant liberos suos instituendos viris sanctis et monasteriis, ut Romani nobiles S. Benedicto, teste S. Gregor. l. II. dial. c. XIII. alii in Gallia S. Martino, ut in ejus vita Sulpitius. Sed quid dicemus tandem de crudelibus his parentibus, qui modis recensitis suos necant liberos? Id nimirum, quod dicitur Psal. CV. *Immolaverunt filios suos et filias suas dæmoniis: et quod Eccl. LXII. dicitur: De patre impiis queruntur filii, quoniam propter illum sunt in opprobrio!* et denique, quod hodierno in evangelio: *Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus.* Ad Deum enim hujusmodi peccata clamant, et vindictam expetunt. Sed quid est quod parentes hæc non agnoscant, et querelas liberorum de se non animadvertant? Nimirum id accidit eis, quod olim parentibus gentilium, qui idolo Moloch filios suos in sacrificium offerebant, ut IV. Reg. XXIII. habetur: sed ne gemitus et singultus filiorum a parentibus audirentur, tympanum interim pulsabatur, unde locus ille tophet dictus a toph, quod est tympanum, ut advertit ibi Lyranus. Ita nimirum dæmon plurimis adhuc parentibus tympanum pulsatur, dum inanibus eos ludibriis agitat, et mundi strepitu, vanisque persuasionibus, sensus eorum obtundit, cæcatque intellectum; ne tam grandia scelera advertant.

CONCIO VI.

DOCUMENTA.

I. Christus adhuc infans infernum spoliavit. — II. Nulla mundo prosperitas stabilis. — III. Facile es Deo homines confundere. — IV. Tenera liberorum ætas bene servanda. — V. Bona nostra occultanda. — VI. Uxores subsint maritis. — VII. Superiorum monitis obediendum.

THEMA.

Surge et accipe puerum, et matrem ejus et fuge in Ægyptum. Matth. II.

Non dubito, auditores, quin vestrum plerorumque cordibus natus sit **his** ss. feriis Christus, quando videlicet eum in **s.** communione suscepistis. Verum: *Quia non minor est virtus, quam querere, parta tueri,* satagendum est ut hoc magno bono non iterum destituamur. Astutus ille Herodes, diabolus solet recens nato Christo ponere insidias, ut eum de corde nostro tollat, juxta id Marc. IV. *Confestim venit Satanas, et auferit verbum, quod seminatum est in cordibus eorum.* Moneo igitur omnes cum angelo hodierno ut accipiant puerum et matrem ejus et fugiant in Ægyptum.

tum, id est, fugiant mundum et malorum consortia: peccandi occasiones et voluptatis mella: recipiant se in Ægyptum, quam sua inundatione fecundam reddidit Nilus, qui Dei verbum, quo fecundantur corda nostra, in ecclesia audiendum denotat. Ibi adolesemus, ibi proficiemus. Quare nunc ad hodiernum evangelium mentem applicemus.

I. Discimus Christum adhuc infantem spolia inferno et dæmoni detraxisse, parvulos videlicet, quos e mundo abstractos, martyres fecit et hæredes cæli. Prædixit de Christo Isaias, cap. VIII. *Antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci et spolia Samariæ,* id est, Herodis et diaboli. Nam primo, Christus statim ac carnem ex Virgine suscepit, Matrem ad montana impulit, ut ex Joanne Baptista adhuc clauso in matris utero dæmonem ejiceret; siquidem ad salutationem Deiparæ Joannes ab originali labe expiatus, et Spiritu sancto repletus est.

Secundo, pastores ex Judæa et magos ex oriente ad sui adorationem stella duce pertraxit.

Tertio, Innocentes etiam pueros quos Herodis trucidavit sævitia, ad suum regnum singulari beneficio adlegit. Neque exigua fuit hæc præda: hos Innocentes quatuordecim millia fuisse testatur menologium Græcorum et canon missæ Æthiopum, in biblioth. ss. patr. tom. VI.

Quarto, ingrediens Ægyptum, idola Ægyptiorum stravit, ut alibi ostensum.

Quinto, reclinatus in præsepio debellavit mundi fortitudinem, præsentiam et gloriam. « Quid enim aliud fuit Christi nativitas (inquit Hector Pintus, in c. VIII. Isa.) ejusque in mundum adventus sine humanis armis, sine copiis et hominum exercitibus, sine bellico apparatu, quam inanis mundi fortitudinis eversio? Voluit statim in infantia Christus indicare nulla arma, nullam mundi fortitudinem, nullas hominum munitiones, tantam habere firmitudinem, ut in illis fiduciam collocaremus: sed in Christi fide charitate formata, in vera religione, in mundi contemptu, in perpetua virtutis constantia esse veram fortitudinem constitutam. Quid aliud fuit nasci Christum inter paleas et fœnum, et reclinari a Virgine sanctissima in humili præsepio, quia non erat locus in diversorio, ut ait evangelista, quam humani fastus, inanis gloriæ hominum pompæ et hujus mundi sapientiæ, apertissima damnatio? Quid aliud fuit nasci in itinere et in diversorio, nisi docere viam esse et diversorium non permanens domicilium? Quid aliud fuit illa profunda humilitas, quam mundi superbiæ et jactantiæ clarissima improbatio? Quid aliud fuit illa summa paupertas,

quam humanæ prosperitatis, fluxarumque opum inconstantium in casuque sitarum, contemptio? In illa inopia voluit delitescere summus ille omnium rerum opifex, amplissimusque cæli moderator et rector, qui naturam universam immensa virtute coercescit et continet totius universi invictissimus imperator, ut doceret fundamentum christianæ philosophiæ veræque religionis initium in rerum humanarum contemptione ac despicientia consistere: nosque ad cælestis patriæ desiderium firmissimamque æternitatis spem et fiduciam excitaret: cum igitur Christus natus est statim incepit auferre fortitudinem Damasci. Stultam enim fecit Deus hujusmodi sapientiam, etc. » Hæc Pintus.

II. Discimus, nullam mundi prosperitatem nullumque gaudium stabile esse. Ecce enim angelus paulo ante Christo accinebat lætissimum illud canticum: *Gloria in altissimis Deo,* nunc vero monet angelus ut fugiat Herodem, futurum alioquin ut Herodes quærat eum perdere. Sed audiamus hac de re S. Chrysost. hom. VIII. in Matth. « Tum de posteris, inquit, tum ex adversis justorum vitam quasi admirabili varietate contexit (Deus). Quod hic quoque eum fecisse considera. Videndo quippe S. Joseph gravidam sponsam, in conturbationem incidit maximam: sed adfuit repente angelus, timorem prorsus extinguens. Deinde, videns puerum natum, maxima exultatione repletus est: sed rursus huic etiam gaudium periculum grande successit, cum tota utique civitas turbaretur, ipse rex fureret et ad necem puerum quæreret. Sed et hunc mœrorem alia rursus lætitia subsecuta est, apparitio videlicet stellæ et adoratio magorum: post hanc quoque jucunditatem iterum periculum iterumque formido: Quærît, inquit, Herodes animam pueri, et fugere necesse est et in longinqua transire. » Bene igitur et accommodate ad hanc Chrysostomi sententiam Ezechias rex vitam hominis telæ seu texturæ comparavit, Isa. XXXVIII. *Præcisa est, inquit, velut a texente vita mea.* Telæ enim fila non eodem omnia tendunt, sed alia quidem recta, alia transversa sunt; ita et vitæ nostræ dies alii recti, id est, læti et prosperi, alii transversi, id est, mœsti et adversi sunt. Charissimum filium suum Josephum vestivit Jacob *polymita,* id est, multicolore veste, Gen. XXXVII. Ita enim electos suos Deus partim prosperis, partim adversis rebus dum induit, exornat. Zodiacus modo ad nos adducens, modo a nobis abducens solem, causa generationis et nutrimenti nostri est: pari modo Deus, dum modo nos castigat, modo consolatur, in obedientia et disciplina nos conservat. Quare sicut navigantes in alto mar-